

# EPISTULA LEONINA

## LXXV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXIV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**SEPTUAGESIMAM QUINTAM (75) !**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam septuagesimam quintam. En habes GALEOLOGIAE partem alteram et finalem. Agitur nunc de mustelae vi symbolicā et heraldicā; explicatur, quantum valeat mustela ad fidem popularem et ad artes litterasque.*

*Mustela erminea veste hiemali candidissimā atque pulcherrimā ornata factum est puritatis et castitatis et fortitudinis symbolum gratissimum. Apologus ille, in quo mustela erminea mavult puritatem quam vitam servare (“Mālo mori quam foedari”), videtur in Aremoricā regione Francogalliae exorta esse. Conditi sunt Ordines equitum mustelae ermineae dedicati. At mirum est Ferdinandum I. Neapolitanum talem ordinem condidisse; nam īdem a Iacobo Burckhardt minimē dicitur esse anima candida, sed tyrannus horribilis.*

*In fine a Mauricio Bettini palaeophilologo Senensi docemur, antiquus mythus mustelae per aures concipientis, ex ore parientis, callidē obstetricantis quantum valeat ad fidem popularem et ad artes litterasque.*

**Tu autem pancraticē vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**d. Veneris, 25. m. Apr. a.2014**



**MĀLO MORI QUAM FOEDARI  
FERDINANDUS I. NEAPOLITANUS**

sive Ferrante (\*d.2. m.Iun. a.1424 Valentiae; † d.25. m.Ian. a.1494 Genuae)

**GALEOLOGIA SIVE HISTORIA  
MUSTELARUM  
(II)**

**PARS ALTERA:**

**MUSTELA QUANTUM VALEAT  
AD FIDEM POPULAREM ET AD ARTES LITTERASQUE**




**En mustelam ermineam elegantissimê per nivem prosilientem!**

## Mustela erminea

est unicum animal mammale duplicitis nominis duplicitisque formae. Theodisco sermone haec mustela aestate dicitur „magna“, hieme „erminea“. Cum mensibus frigidioribus magnificâ pelle sit induita candidâ, color dorsi aestate fit fuscus. Necnon moribus haec nana nitida adaptatur ad anni tempora. Nam aestate plerumque die vagatur, hieme ferê semper nocte.

Motiones hominis agilissimi atque curiosissimi, hîc illîc brevissimê naribus scrutantis, huc illuc celerrimê cursantis, sermone theodisco comparantur cum motionibus mustelae ermineae propriis: appellantur enim „*wieseln*“, homo maximê agilis dicitur “*wieselig, wieselflink*”.

In Aremoricâ regione Francogalliae (*Bretagne*) mustela erminea propter audaciam suam puritatisque amorem facta est bestia emblematica sive heraldica. Fabula fert unum ex Aremoricae regibus prioribus, cui nomen fuit **Conan Méridec**, equitantem ad ripam rivi limosam incidisse in mustelam ermineam. Bestiola autem pro eo, ut aufugeret, remansit immota. Miles praefectus a rôge rogatus, quidni mustela aufugeret, respondit: „Rex Aremorianorum, haec bestiola nequaquam est vulnerata, sed vult remanere immaculata. Timet enim, ne vestis sua purissima rivo transeundo maculetur.“ Rex stupefactus: “O mustela” inquit, “mortem praeferas maculae! **Mavis mori quam foedari**. Hoc dictum in futurum sit genti Aremoricae proprium, tu autem eris huius dicti symbolum vivum.” His verbis sollemniter factis Meridecus mustelam ermineam sustulit in scutum suum.



ECCE VERBA SUPERBA AD MUSTELAM SPECTANTIA:

**MĀLO MORI QUAM FOEDARI**

# DE FERDINANDO I. NEAPOLITANO

## CONDITORE ORDINIS MUSTELAE ERMINEAE

### »MĀLO MORI QUAM FOEDARI«

**Ferdinandus I.** sive **Ferrante** (qui natus est d.2. m.lun. a.1424 Valentiae; mortuus d.25. m.Ian. a.1494 Genuae) a. 1458 – aetate triginta quattuor annorum – factus est rex Neapolitanus mansitque usque ad mortem suam.

#### **Vita**

Ferdinandus I. natus est filius illegitimus Alfonsi V. Arraconensis, qui a reginâ Iohannâ II. Adoptatus a.1421 regnum Neapolitanum usurpaverat. De matre Ferdinandi alii alia tradunt: nonnulli eam appellant Margaritam de Ixar, dominam aulicam uxoris Alfonsi, reginae Mariae Castiliae, quam dicunt post partum interficere iussisse, alii tradunt nomen matris Ferdinandi fuisse Viradonam Carlinam. Alfonsus filium a.1438 curavit Neapolin ferendum, et a.1440 assecutus est, ut Ferdinandus a Papâ Eugenio IV. comprobaretur filius legitimus matrimonio natus. Ferdinandus a.1443 declaratus est Princeps Calabriae et successor regni Neapolitani et a Papâ legitimatus.

Ex anno 1445 cum Isabellâ Claromontii, filiâ comitis Tristani Capertini, connubio coniunctus a.1458 patre mortuo Neapolin occupavit. Papa Calixtus III., qui partum Ferdinandi ab Eugenio legitimatum non comprobavit, recusavit, ne regnum daretur homini illegitimê nato, sed eodem anno mortuus est. Deinde regnum Ferdinando concessum est a Pio II., Calixti successore. Tamen Ferdinando per complures annos pugnandum erat contra aemulum regnum Renatum Andegavensem, filium Ducis Iohannis Calabriae. Mediolanensi Francisco Sforza adiuvante Ferdinando contigit, ut fugaret nobiles ad Domum Andegavensem spectantes; Ferdinandus Francisco Sforzae gratias agens eius filio Sforzae Mariae Sforzae (d.18. m.Aug. a.1451 – d.29. m.Iul. a.1479) tradidit Ducatum Barii Neapolitanum.

A.1465 regno tandem accepto Ferdinandus potestatem suam firmavit filiae filiique connubiis: filia enim Ferdinandi nupsit Leonardo della Rovere, nepoti papae Sixti IV., Alfonsus autem filius in matrimonium duxit Hippolytam Mariam Sforzam filiam ducis Mediolanensis.

A.1463 Ferdinandus factus est eques *Ordinis Periscelidis*<sup>1</sup> et a.1473 eques *Ordinis Velleris Aurei*.


Brevi ante mortem Ferdinandi I. Dux Ludovicus Sforza Mediolanensis a nobilibus sibi hostilibus irritatus foedere se coniunxit cum Carolo VIII. Francogalliae, ut ad effectum adduceret iura Domûs Andegavensis in potestatem Neapolis regiam. Inter studia hoc foedus solvendi Ferdinandus d.25. m.lan. a.1494 aetate undesepatuaginta annorum Genuâ in urbe mortuus est.

Ferdinandus fuit princeps vigore atque prudentiâ civili praeditus, qui nobilibus debilitandis firmavit potestatem regiam et adversus ipsum papam servavit ius suum arbitriumque liberum. Oeconomicis quoque rebus valdê consulebat, praesertim culturae bombycum, item scientiis, praesertim iurisprudentiae. Eius aula fuit sedes humanismi atque renascentiae praecipua.

Tamen **Iacobus Burckhardt** Ferdinandum scribit fuisse "funestum atque crudelem [...], quacumque ratione iste est inter illius aetatis principes omnium maximè terribilis. Numquam non assiduus, habetur pro uno ex viris in re publicâ valentissimis, sed nequaquam homo dissolutus, omnes vires suas, etiam memoriam suam implacabilem et artem simulandi subtilem adhibet ad adversarios suos delendos. Cum laesus esset omnibus rebus, quibus princeps laedi potest, eo quod duces baronum sibi affinitate, omnibus principibus exteris foedere iuncti erant, Ferdinandus assuefactus est ad res extremas sibi cottidianas. Res, quibus egebat hac in pugnâ exterisque bellis eâdem ferê ratione Mahumetanâ comparabat, qua usus erat Fridericus II.: frumenti oleique nemo mercaturam faciebat nisi gubernatio; totam mercaturam Ferdinandus uni soli mercatori superiori maiorique, Francisco Coppolae, tradiderat dispensandam, qui cum illo fructum communicans omnibus naucleris munera deferebat; mutuationibus coacticiis, suppliciis capitalibus confiscationibusque, gravissimâ munerum ecclesiasticorum nundinatione corporationumque clericalium expilatione facta sunt reliqua. Nunc Ferdinandus exceptâ venatione, quam exercebat importunê, duabus se tradebat voluptatibus: eum enim delectabat adversarios suos prope se habere aut vivos carceribus bene custoditos aut mortuos et arte medicatos, eo vestitu indutos, quem gesserant vivi. Furtim cachinnabat cum familiaribus de captivis loquens; mumias adversariorum collectas ne studuit quidem celare.

---

<sup>1</sup> Ordo Periscelidis, angl. Most Noble Order of the Garter, fr. très noble ordre de la Jarretière, ital. Nobilissimo Ordine della Giarrettiera, hisp. Nobilísima Orden de la Jarretera, theod. Hosenbandorden. Qui ordo fundatus est a.1348 ab Eduardo III. Rege Angliae.



**Jacob Burckhardt (1818-1897)**  
**Historicus historiae cultūs civilis**  
**Renaissance peritissimus**

*Talibus viris potiri solebat proditione, immo ipsam inter cenam regalem. Infernali prorsus ratione Ferdinandus animadvertisit in Antonellum Petruccium ministrum primarium, cuius viri munere senescentis atque aegrescentis dona metu mortis augescente oblata Ferdinandus iterum iterumque accipiebat, dum tandem curavit, ut idem sub praetextu coniurationis baronum participatae comprehendenderetur supplicioque capitis afficeretur, unâ cum Coppolâ [a. 1487]. Istaec omnia apud Caracciolum atque Porzium ita descripta sunt, ut legentis horreant capilli."*


## **Ordo equitum mustelae ermineae Neapolitanus**

Fuit ordo equestris, qui a rege Ferdinando Neapolitano a.1464 est fundatus.

Ordinis decoramentum erat taenia colli aurea. Ex eâdem dependebat mustela erminea. Verbo ordinis scutario, quod est „Mâlo mori quam foedari“ (i.e. dehonestari), alluditur ad indolem mustelae ermineae, quae putatur malle ire per ignem quam per cumulum stercoris. Inde derivatae sunt puritas atque innocentia ut virtutes ordinis eiusque participes exoptatissimae.


## **Ordinis Mustelae Ermiae gestores illustrissimi**

- Dux Urbinas (ex a.1474 Periscelidis quoque Ordinis particeps)
- Carolus Audax (1433-1477) Dux Burgundiae et Luxemburgi



**ECCE EMBLEMA ORDINIS ERMINEAE SPICAEQUE**  
 (»L'ordre de l'hermine et de l'épi«)

quem a.1450 instituit Franciscus I. Dux Aremoricae



»COLLIER D'HERMINE«, i.e. TAENIA COLLARIS ERMINEAE

**qua quotannis honorantur homines, qui optimē meriti sunt de Aremoricā fovendā**

## Ordines equitum mustelae ermineae

### 1) (*L'ordre de ma vie*), Ordo equitum a.1381 a Duce Iohanne IV.

**Aremoricae fundatus.** Signum huius ordinis est: taenia collaris, quae habet duas catenas aureas octonis membris compositas, quae duabus coronis concludebantur, quarum una ex pectore, altera e cervice dependet; inter has duas catenas in utroque latere mustelae ermineae eentes, in summâ decem taeniâ incurvatâ circumvinctae, vicissim colore nigro et albo pictae, instructae sunt verbo scutario: *A ma vie*; in locis nigris sunt litterae albae, in albis nigrae. E coronâ in pectore positâ duabus catenulis dependebat mustela eiusdem formae. Hôc ordine etiam dominae nobiles sunt honoratae.

### 2) ordo a Ferdinando I. Neapolitano a.1461 conditus, ut homines recordarentur se

**Monno Marzanno** fratri suo ignovisse, quod ille vitae suae insidiatus esset. Signum huius ordinis fuit aurea taenia collaris, cui affixa erat mustela erminea, cui subscriptum erat verbum scutarium:

**Mâlo mori quam foedari.** Si credimus Iacobo Burckhardt, qui Ferdinandum illum describit nefas monstruosum (*vide supra!*), hic ordo ermineus sensu magis ironico quam vero fundatus est. At talia interdum fiunt de ordinibus et animalibus emblematicis honoris causâ attributis: neque ordinum conditores neque acceptores semper sunt digni honore.

## Mustelae vis symbolica

Fabula aremoricana (*vide supra!*) fert mustelam ermineam malle mori quam hiemalem pellem suam candidam limo maculare. Simili fabulâ exortum est Ordinis mustelae ermineae Neapolitani verbum scutarium, quod est: "**mâlo mori quem foedari**". Ignotum est, unde exorta sit ipsa fabula, sed magnis in partibus Europae mediaevalis pellis mustelae ermineae candida habebatur pro symbolo castitatis atque innocentiae.

Quia amicula pelle ermineae fabricata tam pretiosa erant, ut a nemine emi possent nisi ab ecclesiasticis aut saecularibus hominibus potentibus, medio iam aevo exeunte, sed praesertim aetate absolutismi, Ludovico XIV. regnante, facta sunt insignia potestatis.

Usque tempus hodiernum mustela erminea est tinctura heraldica aut imagine sui naturali est pars emblematum, quae spectant ad gentes nobiles aut regiones. Imperatores et rôges et principes necnon papa gerebant vestimenta pellibus mustelae ermineae hiemalibus insutis vel subsutis ornata, quibus ut ornamenta specialia assutae erant nigrae caudae erminearum extremae. Unus ex monarchis ultimis, qui tali amiculo induti picti sunt, fuit Ludovicus II. Rex Bavarorum.



# ***Recitator***

Fabula romanica

quam theodiscē scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ  
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directē per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !



**Mustela nivalis**  
cuius cauda expers est maculae nigrae.



**Mustela erminea**  
Sinistra induita est pelle aestivâ,  
dextra hiemali.

The title page features the title 'DE RAPTORE NOTRENI PLOTRI' in large, stylized letters. 'DE RAPTORE' is in blue, 'NOTRENI' is in green, and 'PLOTRI' is in red. Below the title is a decorative green wavy line.

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur

**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae compleiae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)



Domina cum mustela erminea  
A.1489/90 pinxit LEONARDO DA VINCI.

[http://en.wikipedia.org/wiki/Cecilia\\_Gallerani](http://en.wikipedia.org/wiki/Cecilia_Gallerani)

Ecce **Cecilia Gallerani** (1473–1536), quae nata est in Italiae urbe Senarum, omnium Ludovici Sforzae Ducis Mediolani amasiarum aulicarum praestantissima et eruditissima. Eadem a Leonardo picta est mustelam ermineam manu tenens. Saepius invitabat Leonardum ad colloquia philosophica Mediolanensis participanda, quibus ipsa moderabatur.



**Elisabetha I. regina Angliae virginalis, quae picta est cum mustelâ ermineâ  
bracchio impositâ. Hac in picturâ mustela maculis nigris est similis ermineae  
heraldicae. Circa a.1585 pinxit William Segar.**



**Ecce Ludovicus XI. circulo equitum Ordinis Michaelis circumdatus (a.1470). Rex et equites Ordinis induiti sunt amiculis ermineis uniformibus.**


Mustela erminea primum tinctura facta esse videtur a.1213 in insigni Ducatūs Aremoricani, ubi – quadamtenus mutatum symbolum cuiusdam iuris proprii – usque nunc superstes est; etiam insignibus departimenti aremoricanis insunt tincturae ermineae. Insigne regionis *Limousin*, quia ratione dynasticā coniuncta est cum Aremoricā, etiam ornatur mustelā ermineā heraldicā. Amicula et petasi heraldici pellibus huius bestiolae aut secundum naturam aut ad libitum artificis pictis exornati sunt.

75

*Cui candor morte redemptus.*

»Cui candor morte redemptus«: Venator cum canibus persequitur mustelam ermineam.  
Emblema Henrici Peacham Angli (a.1612).

**Henry Peacham** Anglus (1578-1644) in opere a. 1612 edito, c.t. "Minerva Britannica, or a garden of Heroical Devises, etc." publicat emblemata, cui superscripta sunt verba scutaria paraenetica. Emblemate autem eius septuagesimo quinto picta est mustela erminea, quem persequitur venator equitans cum canibus. Verba scutaria sunt: **CUI CANDOR MORTE REDEMPKTUS**. Bonus Henricus his verbis monet lectorem, ut sequatur exemplum ermineae illius apologeticus aremoricano descriptae, quae dicitur maluisse mori quam foedari.



**PARVUS NICOLAUS  
Narratiunculae**  
**quas theodiscê reddidit Hans-Georg Lenzen,  
Latinê Nikolaus Groß.**

Quomodo fieri potest, ut Latinê colloquaris de rixationibus, pedifollio, magistrisque molestis? Hoc tibi explicabit Renatus Goscinny, auctor Asterigis, de altero heroe suo narrans, i.e. de Parvo Nicolao (»Le Petit Nicolas«, editio theodisca complectitur 1,6 miliones exemplorum!), cuius mox edetur pulcherrimus libellus bilinguis (Latino-theodiscus). *Chouette – Prima!* - Bellissimê!

**Libellus involucro semilineo instructus, 144 paginae.  
Edetur mense Aprili a.2014**

**ISBN 978-3-257-01169-2**

**€ (D) 16.90 / (A) 17.40**

**sFr 24.90\***

**\* pretium commendatum, non obligatorium.**

## **MUSTELA QUANTUM VALEAT AD MYTHUM FIDEMQUE POPULAREM**

*Scripsit Maurizio Bettini<sup>1</sup>, in Latinum convertit Nikolaus Groß*



**Maurizio Bettini (\*1947)**  
palaeophilologus Senensis

### **De nodis deque mustelâ**

Usque nunc quadamtenus nihil rettulimus nisi ea quae facta sunt ante locum herois falsi a Plauto electum et ad fabulam theatraicam exauctum. Nunc eamus ad finem comoediae et spectemus, quae experiantur Amphitryon et Alcmena aulaeo delapso aut delabente. Notum est comoediam finiri eventu gravissimo, i.e. Alcmenae puerperio, de quo refert Bromia ancilla territa. Sed hōc loco Plautus rem valdē breviter exponit, nam verisimile est Plautum ea, quae nunc referimus, noluisse sciscitari. At ut iam acroasi ineunte diximus, id momentum temporis, quo Alcmena fit narrationis heroina vera, maximē valet ad anthropologiam.

Antiquissimo ex tempore Iuppiter traditur Alcmenā parturiente in consilio deorum incautē declarasse filium suum, qui postridie nasceretur, imperaturum esse omnibus propinquis<sup>2</sup>. Scilicet lovem cogitasse de Hercule, sed Iuno aemula eo illi insidias paravit, quod partum Alcmenae retardans primo parere sivit Nicippam Stheneli uxorem. Haec cum pareret Eurystheum, qui etiam fuit infans “lovis ex carne et sanguine procreatus”, is imperium accepit, sed Hercules non potuit, quin illi se subiceret et duodecim facinora illustria illius mandatu faceret.

<sup>1</sup> Maurizio Bettini, *Alkmene und das Wiesel*, p.47-50, in: POMOERIVM 1 (1994) ISSN 0945-2354 - <http://pomoerium.eu/pomoer/pomoer1/bettini1.pdf>. cfr opus maius huius philologi: 1998 *Nascere: Storie di donne, donne, madri ed eroi* [Turin: Einaudi]. Ecce versio Anglica: *Women and Weasels: Mythologies of Birth in Ancient Greece and Rome*. Translated by Emlyn Eisenach; first published 1998. Chicago; London: University of Chicago Press, 2013. Pp. xi, 369. ISBN 9780226044743.

<sup>2</sup> HOMERUS, Ilias 19,95-125.

Hac in fabulae parte maximē valet, qua ratione Iuno sciverit partum Alcmenae retardare. Haec dea Lucinam, i.e. deas parturientium, ad Alcmenam mittens iubet parturienti assidere *digitis inter se pectine iunctis dextroque a poplite laevum pressas genu<sup>3</sup>*. Qua positione corporis non solum interrupta est actio pariendi, sed etiam vita Alcmenae in periculum adducta esset, nisi contra opinionem auxilium allatum esset a mustelâ ( $\gamma\alpha\lambda\eta$ )<sup>4</sup> aut – ut in aliis fabulae versionibus narratur – a puellâ, quae vocabatur Galinthias et denique mutata est in mustelam<sup>5</sup>. Mustela aut puella mustelina Eileithyias dolo decipit: laetitiam simulans deas sedentes praetercurrit easque adhortatur, ut Alcmenae gratulentur in partum perfectum. Tum Eileithyiae stupefactae prosiliunt; quo fit, ut manûs earum cruraque nodo iuncta solvantur. Deinde Alcmena denuo incipit partuire et tandem puerum nascitur. Unum in hac re maximē animadvertisimus: Ex testimoniis nobis patet deas prosilientes manûs aperire aut tollere<sup>6</sup>. Haec res est magni momenti, quia Eileithyiae in attico vasi figlino exhibentur manibus sublatis et apertis, si adsunt partui felici.<sup>7</sup> Dolo mustelae sive puellae Galanthiadis Eileithyiae tam vehementer stupefactae sunt, ut corpora sua eo modo ponunt, quo solent ponere partum foventes. Itaque mythus et congruit cum symbolo religioso et cum iconographiâ. Ergo aliquatenus nobis licet scaenam mythicam considerare ratione antiquae iconographiae.

At debemus concludere narrationem Galanthiadis puellae mustelinae. Ut erat exspectandum, puella punitur, quod ausa est deabus illudere. Quae in mustelam mutata fecundatur per aures et parit per ôs: Nam sic putabantur fieri huius bestiae coitus partusque.<sup>8</sup> Ergo animadvertisimus hanc partem narrationis reverâ congruere cum origine mustelae mythicâ, praesertim eâdem parte exhiberi atque explicari notas bestiae anatomicas aut veras aut putativas. Talis ratio aetiologica, qua re narratâ quadamtenus explicantur origo bestiae causaque quarundam notarum aut morum, qui spectant ad hanc bestiam, animis hominum mythos fingentium innata est.<sup>9</sup>

Iterum apparent fabulam Amphitryonis atque Alcmenae abundare rationibus cogitandi cultui civili innatis: Hôc enim mytho redditur vetus fides in Europâ latê patens, qua creduntur nodi actionem pariendi inhiberi; itaque more tradito prohibetur, parturientes ne quid gerant

<sup>3</sup> cfr OV.met.9,298sq. Ibi agitur de Lucina et Nixis, i.e. tribus parturientium adiutoribus masculinis. cfr praecipue ANTONIUS LIBERALIS, met.29; OVID.met.9,5,274-323; PLINIUS, nat.28,59.

<sup>4</sup> AELIANUS, hist.anim.12,59; Schol.OM.II.19,119 (ISTROS = FGrHist 334 F 72).

<sup>5</sup> OVID.,met.5,9,273sqq.; ANTONINUS LIBERALIS, met.29.

<sup>6</sup> ANTONINUS LIBERALIS, met.29.

<sup>7</sup> R.OLMOS, Eileithyia /in:/ Lexicon iconographicum mythologiae classicae, III-1, p.685sqq.

<sup>8</sup> cfr ANAXAGORAS, frg.114 (Diels); ARISTOTELES, de gen.anim.3,6,756b 15.

<sup>9</sup> CL.LEVI-STRAUSS, Histoire de Lynx, Paris 1991.

‘nodatum’ neve quid coniunctum habeant in propinquuo.<sup>10</sup> Quod attinet ad crura decussata aut digitos inter se pectine iunctos, imprimis lectu digna nobis videntur verba Plinii, quae sequuntur:<sup>11</sup>

*Adsidere gravidis vel, cum remedia alicui adhibeantur, digitis pectinatim inter se inplexis beneficium est, idque conpertum tradunt Alcmena Herculem pariente; peius, si circa unum ambove genua; item poplites alternis genibus inponi.*

Videmus digitos inter se implexos et poplites alternis genibus impositos non solum evitandos fuisse tempore pariendi, sed etiam in alio statu omni morbi aut infirmitatis. Necesse est hanc fidem fuisse praevetustam multumque ad Romanos valuisse, nam Plinius addit haec verba:

*ideo haec in consiliis ducum potestatiumve fieri vetuere maiores velut omnem actum inpedientia, vetuere vero et sacris votisve simili modo interesse...*

Ut iam vidimus in signo illo vitali («*life-token*») tractando, hōc quoque loco fides quaedam popularis (quae procul dubio digna est, quae fusius tractetur quam hīc fieri potest) recipitur in narrationem mythicam. At non sōlum hoc est dignum memoratu. Efferendum quoque verbis est mustelam hīc personam gerere obstetricis, i.e. adiutricis partualis. Reverā haec bestia in fabellis graecis et europaeis notis praedita erat tam extraordinariis, ut fieret res in fabellis piis superstitionisve frequentissima.<sup>12</sup> Hac de causā partem acroaseos meae reliquam velim dedicare personae, quam gerit mustela in gentium Europae fide populari fabellisque moribusque traditis.

Ergo paulo accuratius perquiramus, quid valeat mustela. Satis appareat, quae ratio intercedat inter munus obstetricandi et modum per ôs pariendi: Cum actio, qua mustela parit, libera sit ab omnibus nodis impedimentisque, eadem si est prope puerperam, habetur pro omni fausto. Sed haec similitudo nobis nondum sufficit, nam invēnimus alias quoque mustelae proprietates, quae insunt documentis sermonis popularis necnon classicae antiquitatis.

Primo animadvertisimus mustelam multis linguis Europae aut regionis mediterraneae denominari ‘mulierem’ (italicê “*domnola*” – ‘muliercula’, francogallice “*belette*” – ‘bellula’) aut nomine appellari affinitatis: glos, nurus, matrina eqs. In sermone Graeco mustela est – si nomen accurate intellegimus – ‘glos’, i.e. ‘soror mariti’ ( $\gamma\alpha\lambda\tilde{\eta}$  ‘mustela’,  $\gamma\alpha\lambda\omega\varsigma$  ‘soror mariti’ = glōs, glōris f.). Ne nimis parvi aestimes, quantum in cultu civili

<sup>10</sup> J.G. FRAZER, *The golden bough*, London (Macmillan) 1922, p.293-299.

<sup>11</sup> PLIN.nat.28,59.

<sup>12</sup> E. SCHOTT, *Das Wiesel in Sprache und Volksgläuben der Romanen*, Tübingen 1935 (diss.); TH. SHEARED DUNCAN, *The Weasel in Religion, Myth and Superstition*, WashUSt 12, 1924, p.33-66.

valeat nomen affinitatis, quo est mustela graeca. Sed antequam hoc problema fusius tractabimus, consentaneum est, ut verbis efferamus gentes antiquas et recentiores more tradito quibusdam bestiis attribuisse nomina affinitatis.<sup>13</sup>

E.g. sermone italico quaedam ulula appellatur “*barbagianni*”, i.e. “*zio giovanni*” (avunculus Iohannes); sermone Germaniae inferioris vulpes appellatur “*Vaddermann Voss*”, i.e. “*Patrinus Vulpes*” aut “*Dominus Patrinus*”; in Aremoricâ regione Francogalliae vulpes nuncupatur “*mon cousin*” (consobrinus meus), cum lupus ad litus Francogalliae boreale appelletur “*compère quette grise*”. Sermone piscatorum litoris Francogalliae septentrionalis cuculus appellatur “*parent*” (affinis) et pica “*ma comère Margot*” (matrina Margot). Bufonis autem nomina solita videntur spectare ad maiores venerandos: sermone Germaniae inferioris bufo appellatur “*grossmudder*” vel “*goos möönk*”. Reverâ Aremoricanî credunt animam alicuius proavi in bufone vitam pergere. Talia nomina affinitatis, quae saepe pertinent ad christianam rationem patrinatûs, posita esse ex certis consuetudinibus verisimile est. Nonnullis in Europae regionibus homines solebant e.g.<sup>14</sup> lupo vulpique cibos apponere illosque adhortari, ut fierent proprietum liberorum patrini. In Hiberniae Vitis Sanctorum<sup>15</sup> legimus haec verba: *lupos sibi adsciscunt in patrimos, quos ,chari Christ' appellant* (quod nomen valet amicitiam in nomine Christi iunctam). ‘Consanguinitas’ vel ‘patrinatus’, quo homo cum bestiâ iungitur, est res multiplex, cui tractandae nos non vacare dolemus. In praesenti id teneamus: Nomen mustelae graecum, quod est γαλόως “glos”, i.e. “soror mariti” non est singulare, sed congruit quodam cum genere denominandi anthropologico.

Ergo revertamur ad personam mustelae aut gloris graecam. Mustela, si est glos ideoque bestia mulieri parturienti affinis, secundum symbolum optimè potest illam adiuvare atque servare. Praeterea fide populari mustela saepe exhibetur puella, cuius nuptiae in vanum ceciderunt. Talis res describitur in apoloquio quodam Aesopico<sup>16</sup>, in quo mustela aliquo die incidit in amorem pulchri iuvenis. Itaque Venus eam mutat in puellam, ut viro iuveni possit nubere. At die nuptiarum mus cum mensam nuptialem praetercurrat, puellae mustelinae non contingit, ut sibi temperet, quin murem raptim persequatur. Itaque nuptiis in vanum et irritum redactis puella denuo fit mustela. Hic apolodus artē conexus est cum fide populari, nam mustelae nomen neograecum est νυμφίτσα – i.e. ‘neogama, neonupta, sponsa iuvenis’. Hoc nomen autem videtur

<sup>13</sup> cfr R. RIEGLER, Tiernamen /in/: Handwörterbuch des deutschen Aberglaubens, vol.8, p.864 sqq.

<sup>14</sup> G.L. GOMME, Folklore as an Historical Science, London (Methuen) 1908, p.277sqq.

<sup>15</sup> C. PLUMNER, Vitae Sanctorum Hiberniae, vol.1-2, Oxford (Clarendon Press) 1910, p.CXLII.

<sup>16</sup> E. ROHDE, Ein griechisches Märchen, RhM 43,1888, p.303-305.

praevetustum esse, nam eius testimonia inveniuntur inde ex Scholiis Aristophanis.<sup>17</sup>

In Graeciae hodiernae canticis popularibus, sicuti etiam in canticis Italiae aliarumque terrarum Europae traditis, mustela personam gerit, 'mulieris non nuptae', quae vivit in umbrâ sponsae et cui die nuptiarum blandiendum est melle aliisque cibis sapidis dandis.<sup>18</sup> Aliis in casibus mustela describitur bestia, cui promittitur vir, a quo in matrimonium ducatur.<sup>19</sup> In Siciliâ si quis in viâ incidit in mustelam, oportet illi cantet cantilenam quae sequitur: "Si tu es fêmea, dabo tibi filium r̄egis; si tu es mas, dabo tibi r̄egis filiam." Veronâ autem in urbe, ut mustela arceretur a stabulo gallinarum, cantabatur haec cantilena popularis: "Mustecula, mustecula, noli devorare meam gallinam, ne eam devores, quaeram tibi maritum, quaeram tibi pulcherrimum, nisi iam devoraveris meum pullum."

Denique, ut melius explicem, quantum mustela valeat ad mythum Alcmenae, oportet aliam peculiaritatem afferam cultûs civilis humanique. In Graeciâ antiquâ mustela erat bestia domestica neque vix umquam deerat in aliquâ domo, ubi eodem munere fungebatur, quod in cultu civili sequente recepit catta. Quam caesareâ demum aetate ex Aegypto in Europam introductam esse notum est.<sup>20</sup> Ne multa, mustela simul erat 'mulier innupta' et domûs inhabitatrix, puella innupta, quae ut graeca illa 'soror mariti' ( $\gamma\alpha\lambda\omega\varsigma$ ) domi habitabat unâ cum muliere partiente.

Omnes has qualitates huic bestiolae attributas si perpenderis, intelleges, quare in mytho partus Alcmenae difficilis persona obstetricis geratur ab ipsâ mustelâ.

Easdem qualitates mustelae addictas considerans melius etiam comprehendes, quibus modis mythus Alcmenae parientis in variis narratiunculis canticisque europaeis exultus variatusve sit. Nonnullius momenti nobis esse videtur, quod haec fabula narrari non desita est. Si vacaremus historiae huius fabulae posteriori tractandae, quandam versionem hōc saeculo ineunte inveniremus in Carolinâ Septentrionali. Ibidem autem Alcmena mutata est in servam quondam nigritanam linguâ auctorum nigritanorum Americae contemporaneae loquentem... His addamus extare et Scotica carmina epicolyrica et Siculas fabellas populares saeculo undevicesimo collectas, quibus item narratur fabula uxoris iuvenis parturientis, cuius partus inhibetur nodis. Haud aliter ac in mytho ab Homero tribus milibus annorum ante narratum est, nodi nesi


<sup>17</sup> TH. ZIELINSKI, Das Wiesel als Braut, RhM 44, 1889, p.156-157.

<sup>18</sup> SHEARED DUNCAN, op.cit.

<sup>19</sup> SCHOTT, op.cit.

<sup>20</sup> B. PLACZECK, Wiesel und Katze: Verhandlungen des Naturforschenden Vereins in Brünn 26, 1888, p.124 sqq.

sunt a malâ muliere, a maleficâ.<sup>21</sup> Nodi partum impedientes autem solvuntur eodem dolo, qui adhibitus iam erat a Galinthiade: Malefica decipitur eo, quod sibi dicitur mulierem iam peperisse. Fabulae recentiores eo tantum ab antiquâ differunt, quod dolus non iam nectitur a mustelâ, sed aut ipsâ a glore mulieris parturientis aut a *Billy Blind*, i.e. cobalo officioso sive spiritu domestico, qui in domo habitat unâ cum sponsâ sponsoque. In narrationibus Alcmenae parturientis posterioribus (videmus minus agi de fabulâ antiquâ, magis de fabulâ invictâ et argumentorum plenâ) munera narratoria atque cultualia recipiuntur quidem ab aliis personis, sed hae personae peculiaritates communicant cum personis antiquis. Personam autem mustelae, quae nomine palaeograeco est *γαλόως*, i.e. glos, in Europâ septentrionali gerit glos ipsa, cum mustela mutata sit in cobalum domesticum.



**Ecce Scotiae cobalus nomine BILLY BLIND, qui personam gerit mustelae antiquae.**  
[http://en.wikipedia.org/wiki/Billy\\_Blind](http://en.wikipedia.org/wiki/Billy_Blind)

---

<sup>21</sup> F.J. CHILD, The English and Scottish Popular Ballads, vol.1, Boston-New York 1882, p.81-88; L. GONZENBACH, Sicilianische Märchen, vol.1, Leipzig (Engelmann) 1876, adn.12 et 15.

**HANC RELATIONEM SCRIPSIT**

**MAURIZIO BETTINI**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## **CORRIGENDA**

**EL 73, p.26, lin.2s1.: DELE: necnon dissignator Laurent Tirard.**

**EL 74, p.6, lin. Paeultima sq.: Utroque cinematio non ostenduntur Mustelae nivales, sed erimineae! Erminea a nivali statim distinguitur cuspide caudae nigrâ.**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
SEPTUAGESIMAM QUINTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Veneris, d.25. m.Apr. a.2014**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**